



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Et Docta Divi Alchimi Aviti Viennensis  
Archiepiscopi, & Claudij Marij Victoris Oratoris  
Massilie[n]sis, poëmata, aliaq[ue] non poenitenda**

**Avitus, Alcimus Ecdicius  
Marius Victor, Claudius**

**Lvgdvni, 1536**

Capvt XXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12149**



*Dominus dissipat cōsilia gentium, reprobatur autē cogitationes populorū, et reprobat cōsilia principū. Psal. 32.*

**T**Alibus excitas acuebant flatibus iras  
 Irridente Deo, solus qui despicit omnem  
 Conatum rigido meditantem vana tumore,  
 Consiliumque ducum cassatis dissipat ausis.  
 Ergo bella rogant, feruens rapit arma iuuentus,  
 Spumantes ducuntur equi, phalerisque potentes  
 Suspendunt alacres splendentia fræna iugales.  
 Pugnax pompa nitet: subiectis curribus axes  
 Aurato temone trahunt: tum cætera pubes  
 Induitur chalybe, aut fuluo circumdatur ære.  
 Et loricarum vasto subtegmine gaudet:  
 Intexit creber sibi met quas circulus hærens  
 Ast alios tenui contexit lamina ferro  
 Assuetos alijs crates, compacta metalla  
 Horrentesque habitus diuersa fecerat arte  
 Ira ferox: nudos etiam quæ ad prælia misit.  
 Et tamen ardentum cuncta inter tela virorum  
 Terribilis plus forma fuit: quis namque furentes  
 Vsq; adeo spectans vultu speculetur amico?  
 Inclusæ galeis facies, & ferrea vestis  
 Cinxerat iratas armorum luce tenebras.  
 Mox prodit collecta manus: rex ipse frementes

Curru



Curru cogit equos: telis tamen vndicq̄ septus  
 Delitet, & densam reddunt hastilia syluam.  
 Concutitur pulsata rotis, ac pondere tellus  
 Pressa gemit: nec iam capiendis sufficit illis,  
 Vsq̄ adeò Aegyptum angustat stipata iuuentus:  
 Occluditq̄ vias: fugiendi vt nulla superfit  
 Hinc equite Hebreos: illinc cludentibus vndis,  
 Spesue modus ue vllus, ni iam mortalibus illos  
 Præsidijs vacuos cœlestis dextera saluet  
 Quæ solet extremam miseris adferre salutem.

## CAPVT XXIII.

**I**Vnixerat interea qua ponto magdalus instat *Exodi. 14.*  
 Hebræus populus rubicūdo castra profundo.  
 Euasos credens securis mentibus hostes.  
 Ecce autem vt cepere suas tentoria sedes,  
 Dum resident, fixoq̄ parant requiescere pallo:  
 Cernunt puluereas in cœlum surgere nubes  
 Moxq̄ etiam propius spectantibus alta patefcūt  
 Nigrantes vultus adoperta nitentibus armis  
 Agmina, crudeles tantum spirantia mortes.  
 Nec tamen infensas patitur cōmittere partes  
 Sole sub occiduo vicinus prælia vesper.  
 Crastina lux ergo vallati bella tyranni  
 Distulit: